DISPUTATIO JURIDICA
DE
REBUS SANCTIS,
QUAM
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,
SUB PRÆSIDIO
DN. JOHANNIS HENRICI
Böttchers/ J. U. D.
Juris Can. & Feudal. in Academia Julia Professoris Ordinarii Celeberrimi, ut & Dicasterii Guelphici Assessoris gravissimi,
Dn. Præceptoris ac Patroni sui summe devenerandi,
publico examini submittet
d. XXI. Octobris
AUTOR
JOHANNES JUSTUS Voigt
Riddagshusanus.

HELMESTADI,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno M DC LXXXV.

VIRO
Maxime Venerabili, Excellentissimo, atq; Spectatissimo
DN. BRANDANO
DÆTRIO,
S. S. Theol. Doct. Prot Ecclesiastæ Guelphico meritissimo, Consistorii quod ibidem Directori gravissimo, & Abbati Riddagshusano summe Reverendo,
Patrono meo ætatem pie colendo.


VIRO
Magnifico, Amplissimo atq; Experientissimo
DN. HENRICO MEIBOMIO,
Med. Doct. ejusq; & Histor. ac Poës. Prof. Publ. & Ord. longe celeberrimo, Facultatis Medicæ Seniori & Archiatro Guelphico longe felicissimo,
Patrono meo omnis observantiæ cultu ætatem prosequendo.

Vir

Maxime Venerabilis, Excellentissime atq; Spectatissime.

Vir

Magnifice, Amplissime atq; Experientissime.



NE accusari fortassis possim, me de REBUS SANCTIS dissertationem editurum; statim initio

initio nullam, vel debitam ſaltem Perſonarum ſanctarum rationem non habuiſſe; dum ſcilicet eam iis quibus debebam non conſecraverim: in conſpectum veſtrum jam prodeo, Vobisq;, Mæcenates æternùm devenerandi, illam pie offero. Deterrere equidem, fateor, facile me potuiſſet materiæ tenuitas; cum *non omnes arbuſta juvent humilesque myricæ*: nec ratio eandem tractandi levior multum favoris ſibi conciliatura videtur. Sed inſignis Veſter in ſtudia liberalia eorumque cultores favor, qui vos non parùm ab aliis homini-

bus ſeparat, bono me jubet eſſe animo, audaciæq; meæ abunde veniam promittit. Accedit ſingularis pietas, & vinculum quo Veſtris Nominibus obſtrictus ſum haud vulgare, quæ teſtimonium aliquod ejus qvod Vobis debeam exſtare volunt. Etenim ſi ad plurima & quotidie in Parentes, in Fratrem, in me collata beneficia reſpiciam, iis ſane ita me obrutum cinctumque intelligo, ut expediendi ratio vel fere nulla, vel maxime ardua appareat. Ne vero iis debitoribus annumerer, qui, quib⁹ multum debent iisdem & plurimum volunt debere,

non

non potui non hoc ingratisſimi animi vitiũ à me declinare, Vobisq;, Patroni omnis obſervantiæ cultu proſequendi, monſtrare, quam ſanctè illa mecum ſervẽ, & nunquam non ſubmiſsâ mente venerer & admirer. Vobis igitur haſce laboris mei Academici primitias trado, Veſtrum patrocinium verbis meis, non eruditionem quidem, at obſervantiam tamen ſpirantibus gratiam certisſimam pollicetur. Quod reliquum eſt DEUM pro Veſtra utriusque incolumitate & ſalute ardentibus precibus venerari nunquam ceſſabo, ut Vos & Pa-

triæ,

triæ, & ſplendisſimæ familiæ, in qua vera inſignium Parentum imago, hoc eſt, perfecta virtus haud obſcure jam tum ſpectatur, quam diutisſime florentes & felicisſime præeuntes ſupereſſe jubeat. Agite vero, Duûmviri Splendidisſimi, & me, uti adhuc in me juvando fuiſtis ſoliciti porro Veſtro, id eſt, dulcisſimo, & ut vere dicam, Paterno amore proſequimini, & nihil erit quod non Veſtris Nominibus quam lubentisſime acceptum feram, eaque ſanctè ſemper in oculis ferre nunquam deſiſtam.

Dabam Helmſtadii d. XXI.
Octobr. A. CIↃ IↃC XXCV.

Auctor.



I. N. J.

THESIS I.

Omnes quidem res hominum causa productæ, non tamen singuli eandem in quascunque res habent potestatem; sed publicæ utilitatis causâ quædam res sunt extra commercium singulorum positæ, & divini juris, vel his similes esse censentur, ac in jure Civili Romano dicuntur Res Sacræ, Sanctæ, vel Religiosæ. §.7.8.9.10. *Instit. de R.D. l.6. §.2. & seqq. l.8. l.9. ff. de R.D.*

II.

Acturi autem de Rebus Sanctis juxta monitum Ulpiani *l 1. ff. de I. & J.* pauca de significatione Rei Sanctæ præmittenda censemus; cum è re sit, priusquam ad causæ tractationem deveniamus, de significatione ipsius tituli nonnulla referre. *l 1. ff. de Reb. Cred.*

III.

Et (1) quidem Res, cum vocabulum maxime generale sit *l.1. ff. de Reb. Cred.* sic ut omnia fere, de quibus legibus aliquid constitutum, comprehendat *§. 1. inst. de I. & J. l. 10. §. 2. ff. de I. & J.* etiam ea quæ corpora dici non possunt *l.23. ff. de V.S.* Ita etiam varias divisiones recipit, ut videre est *in l. 1. ff. de R. D. l 9. ff. de V.S.* Nec in omnibus ejus significationibus

A eruen-

eruendis erimus prolixiores : denotamus vero hic vocabulo REI tam res quasdam corporales sive sint mobiles sive immobiles, quam quasdam res incorporales.

IV.

SANCTUM itidem non unam habet significationem. Accipitur autem I. pro incorrupto & religioso & dicitur etiam de personis vita moribusq; integris *Cic. pro Dejotaro p. 819.* Sic & veteres & *Sanctos* viros dixit Salustius. Deinde etiam sumitur pro *re inviolabili & sanctione firmata; ita Cic. pro Quinct. Nihil jam sanctum atque sincerum est in civitate: & in l. 8. ff. de R. D. dicitur sanctum quod ab injuria hominum defensum atq; munitum est; Sanctum*, inquit *Trebatius apud Macrobium 3. Saturn. 3. interdum idem est, quod sacrum, idemq; quod religiosum, interdum aliud quod venerabile, incorruptum, inviolatum est. & in l. 9. §. 3. ff. eod. dicitur. Sancta proprie sunt quæ neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quâdam confirmata.* Et res quædam eatenus dicuntur sanctæ, quatenus in eas quicquam moliri nefas est. *Bachov. in Comment. ad Instit. §. sanct. de R. D.*

V.

Unde vero originem trahat τὸ Sanctum, scriptorum opiniones discrepant. Quidam sanctum quid dictum volunt à sagminibus herbis, quas Legati Populi Romani ad hostes missi secum ferre solebant, ne violarentur. *aut. Marcian. in l. sanctum 8. §. 1. ff. de R. D.* Et hinc Legati etiam sancti indigitantur *in l. f. ff. de legat.* quod & pluribus & non ineleganter explicat *Quirinus Kubach. cent. 1. quæst. illustr. decur. V. quæst. 1.* & ex hoc adduxit, *Harpprecht. in Comm. ad inst. § sanctæ 10. de R. D.*

R. D. num. 1. Nonnullis placet illam vocem derivare à sanguinibus; quod sancire idem sit ac sanguine effuso confirmare; *uti ex Aggen. Urbico citavit Schard. in voce sanctum.* Alii illam vocem deducunt à verbo sancio; quod idem est ac quid facere inviolabile, cui sententiæ & nos subscribere nulli dubitamus. *arg. l. 9. §. 3. ff. d. tit. Schard. in lexic. in voce sanctum.*

VI.

Dicuntur igitur nobis RES SANCTÆ quæ contra injuriam hominum sanctione quâdam defensæ atque munitæ sunt *d. l. 8. ff. d. t.* sive quæ peculiari sanctione à profanatione exemtæ & certa cum veneratione observandæ sunt; *Harpprecht. in Comm. ad instit. §. Sanctæ. de R. D. num. 1.* Et sanctio est ea pars legum quâ pœnâ continetur eorum qui contra leges fecerint, *l. 9. §. 3. ff. de R. D. l. 41. ff. de pœn. Schneidewin. in Comm. ad instit. d. §.* Hæ res sanctæ quodammodò sunt divini juris, uti legitur in sæpius *d. §. 10. inst. d. R. D. & Vinn. in annot. ad h. §.* Sicut enim res Sacræ DEO sacratæ, penitus divini juris adeoque in nullius bonis sunt *§. 7. & 8. instit. de R. D.* Ita etiam res quæ ad Majestatem civilem, pro terrestri Deo merito habendam, pertinent, quodammodo divini juris & in nullius bonis esse dicuntur. *d. §. 10.* unde & dicitur in *l. 1. in pr. ff. eod.* res sanctas quodammodo divini juris esse; quia vere ac proprie divini juris sunt res sacræ. vid. *Harpprecht. in Comm. ad instit. d. §. 10. de R. D.* Quamvis enim quælibet alia res quæ est in dominio, exemta sit ab alterius potestate; ut injuriarum reus sit qui re alterius, invito domino utitur. *l. 23. ff. de injur.* attamen, non statim publici delicti aut capitis reus

 est,

est, qui talem locum vel profanaverit, vel in illo loco alium injuria affecerit.

VII.

Differunt inter sese Res Sacræ, Sanctæ & Religiosæ, ratione finis & ratione modi quo tales factæ sunt. Scilicet Res Sacra in honorem DEI vel ad cultum divinum rite constituitur per Pontificem §.8. *instit. de R. D.* Ridiculum & superstitiosum solennitatis consecrationum morem apud Pontificios, ex *Bellarmino tom. 1. controvers. l. 3. de cultu sanct. c. 5.* refert *Dn. Ziglerus ad Instit. J. Can. de constr. eccles.* Hodie apud nos consecratio fieri solet per verbi divini ordinarios ministros cujusq; loci, quando res illa precibus ac orationibus DEO solet commendari, & ut constet, de templo DEO jam tradito, statim ea quæ ad Liturgiam spectant solent exerceri; sacramentum item baptismi & cœnæ Domini administrari. Est enim instar traditionis rei usus *l. ult. ff. de servit.* Amplissimus *Dn. Præses, Patronus ac studiorum meorum Promotor ætatem colendus ad tit. instit. J. Can. de construend. eccles. Nov. 67. c. 1. & DD. comm. Vinnius in annot. ad inst. §. 8. d. t.* Rem sanctam vero non alia persona quam Majestas, & cui illud à Majestate specialiter concessum est, potest facere *arg. l. 1. C. de stat. & imag. Princip.* Religiosam vero unusquisque privatus sua voluntate potest facere. §. 9 *instit. de R. D & Schneidew. ad h §.* Eleganter etiam hanc differentiam exprimit Ælius Gallus; sacrum, ædificium consecratum Deo. Sanctum, murum qui sit circa oppidum; religiosum, sepulcrum dicens ubi mortuus sepultus aut humatus est. *Schard. in voce sanctum.* Hodie non ita ut olim

 privati

privati arbitrii est ex suo loco facere rem religiosam inferendo mortuum, sed cœmiteria & publica loca solent destinari sepulturis, ut extra cœmiterium nemo in loco privato cenotaphium exstruere & suæ familiæ sepulturæ destinare possit. *Dn. Strykius in notis ad Brunnem. I. Eccles. l. 2. c. 2. p. 349.*

XIII.

Notandum tamen hîc est; hæc tria (sacra, sancta, religiosa,) sæpius confundi, ut quod sacrum est dicatur & sanctum & Religiosum, & contra. vid. *Barbos. de jur. eccles. l. 3. c. 3. n. 9. Harpprecht. in Comment. ad* §. 7. *instit. de R. D. in c. 3.* Sed licet hæc sæpius ita promiscue usurpentur; non tamen erunt qui inficiari queant; sæpius non minus temere quam abusive hæc ita confundi: commodius enim est singulas res singulis nominibus distingui. §. 5. *instit. quib. mod. testam. infirm.* adeo ut non immerito hujus rei gratia interpretes arguat Bachovius *in Comment. ad inst. de R. D.* Elegans exemplum de Tiberio refert *Suetonius Tranqu. in ejus vita c. XXVII.* Qui, cum quidam occupationes ejus sacras per adulationem fortassis nominaret, comiter & per quam modeste à se blanditias istas removebat, eundem cogens ut quas occupationes antea sacras salutarat, jam laboriosas diceret.

IX.

Uti vero res illæ Sanctæ singulari privilegio gaudent, ita non in cujuslibet est potestate rem quandam aliàs ceteris æquiparatam sanctam facere, cum res eæ hominum commercio quasi eximantur, ut deinde in nullius bonis *d. §. 10.* & quodammodo divini juris

sint §. 10. *instit. de R. D.* & *l. 1. ff. eod.* quod & *in §. 7.* supra jam annotavimus: sed tantùm in ejus est potestate cujus est leges ferre. Legem vero tantummodo is ferre potest, penes quem est τὸ κύριον in rep. s. Majestas *§. ult C. de legib.* Hujus enim est de iis providere quæ salutem reip. & promoveant & conservent ut rectissime tradidit *Magnif. Dn. Præses* Patronus meus omni observantiæ cultu prosequendus, in *dictatis ad ff. t. de legib. ex l. 1. C. de stat. & imag. Ppum.* ubi dicitur, quod statuas erigere soli competat Imperatori & ei qui superiorem non habet, *Clapmar. l. 4. arcan. rerump. 6 Gryphiander de Weichbildis Saxon. c. XIX. §. 15.* Et dum illæ demum res dicendæ sunt sanctæ, quæ à lege pro venerabilibus & inviolabilibus habentur, ut in violatores pœna corporis inflictiva, vel alia, sit statuta, facile apparet, quod ad illum tantum pertineat facere rem sanctam, cujus est legem ferre, & circa caput ac fortunas hominum statuere. Accedit quod illæ res quæ sanctæ dici solent ad Regalia referantur. v. g. Palatia, fortalitia &c. *2. F. 56.*

X.

Nihil vero refert an res sancta expresso consensu sit facta an vero tacito. *arg. l. 32. ff. de legib.* Expresse, fit voluntate & mandato Majestatis vel superioritatem habentis, quo lege quandam rem locumve ab injuriis privatorum tutum eumve sanctum esse decernit. Tacite vero, quando consuetudine & moribus res quædam pro sancta habetur v. g. ipsum Palatium Principis ubi Princeps animo commorandi subsistit, pro re sancta haberi solet, etiamsi expressa sanctione vel lege talis veneratio ipsi non sit tributa, merito enim

ejusmodi locus, ubi sancta persona degit, sanctus præsumendus est.

XI.

Committit in rem sanctam omnis qui doli capax est, & ex proæresi quicquam in ejus ignominiam perpetrat. Excluduntur igitur statim ab hoc crimine infantes & infantiæ proximi. *arg. §. 9. instit. de inutil. stip.* In hos etenim dolus non cadit, cum perfecto judicio & deliberatione de rebus agendis vel fugiendis careant; item furiosi, cum & hi nullum negotium recte gerant. *§. 8. instit. de inutilib. stipul.* nisi forte vel ante furorem vel tempore intermissionis deliquerint, tunc quatenus injuria alios afficiunt merito plectuntur tempore intervalli; cum alioquin ob defectum rationis potius misericordiam quam pœnam mereantur; eosq; ut & infantes &c. jura potius favore quam odio prosequantur. Ne tamen furiosus vel in se, vel alios quid committat custodiendus erit, *l. 14. de offic. Præs. D. Carpz. tract. crim. p. 3. quæst. 145. num. 41.* Idque onus custodiæ & alimentationis si propria suppetant bona ex propriis, sin minus sufficiant ex charitatis naturalis & sanguinis ratione proximis agnatis & cognatis hæc cura committenda, his vero deficientibus Magistratui competit. *vid. l. 14. de offic. Præsid. Ordin. Provinc. Saxon. d. anno 1543. & 1555. sub tit.* Was zu Ober= und nieder Erbgerichten gehöret.

XII.

His annumerari solent summe ebrii, quorum mens alienata videtur: ut vero in aliis ita etiam hic observandæ sunt circumstantiæ, quis & qualis sit is qui inebriatus est, an raro an frequenter inebrietur;

an sciat quod temulentus in alios peccare soleat, quo loco, quo tempore, qua occasione, quo genere potus inebrieatus sit, quem etiam gradum consecutus sit; an ubi crapulam edormivit adhuc rei gestæ conscius sit, an non, an eum facti pœniteat an non, an ante inebrietationem verisimiliter tale factum quod post commisit, meditatus sit, an non; an ebrietatem facile evitare potuerit & debuerit; an ex proposito & deliberato animo tantum potus assumserit, ut ebrietatem contraheret. Interdum enim Germanorum dicterium: Wer in truncknem Muht stilt/ muß im nüchtern hängen/ locum habet.

XIII.

Alia ratio est illorum, qui pubertati sunt proximi; cum illi jam tum intelligant se delinquere. §. *17. instit. de oblig. quæ ex delict. nascuntur*. Doli enim hi sunt capaces adeoque & puniri possunt. *arg* §. *1. inst. quib. mod. tut. fin. l. 13.* §. *1. de dolo. l. 111. ff. de R. J.* Cum tamen non sint uniusmodi, sed in quibusdam malitia suppleat ætatem, quidam vero sint tardioris ingenii; ideo ex illorum dictis, gestis & factis æstimandum, quantum doli & malitiæ in ipsis cernatur vel non. *Dn. Brunnem. cent. 4. dec. 2.* ubi refert exemplum de impubere capite punito. *Const. Carol. art. 164. D. Carpzov. p. 2. q. 82. num. 19. & passim alibi.* Alias tamen plerumque propter lubricum adhuc ætatis judicium pœna extraordinaria obtinet, præsertim si delictum sit contra jus positivum. Et ita si in rem sanctam quid commiserint, pro ratione circumstantiarum pœnam incurrunt.

XIV.

Peccant præterea in rem sanctam non solum cives sed

ves sed suo modo etiam peregrini. Quamvis enim peregrini non sint obligati legibus civilibus, sanctæ vero res suam auctoritatem ex lege civili habeant; attamen quatenus in certo loco degunt, & jurisdictioni judicis illius subsunt, leges illius loci violare non debent; præsertim si id quod certa lege locali prohibitum, jure communi prohibitum reperiatur. Mevius *ad Jus Lub. quæst. prael. 4.* Sic vero pax Burgensis & cives & peregrinos obligat; exemplum est in edicto Ser^mi Principis Augusti, gloriosæ memoriæ; Guelpherbyti publice olim affixi. Verba sunt hæc: Von Gottes Gnaden rc. — entbieten allen Unterthanen/Verwanten auch **Fremden**/ auch allen dieses Brieffes ansichtigen it. paulo post; Gebieten demnach allen unsern Dienern Unterthanen Verwandten auch **Fremden** rc. Ne vero ejusmodi peregrini ignorantia legis se tueantur, salutare admodum est (1) Si publice affigatur edictum vel signum securitatis (2) ut caupones aliique qui diversoriis præsunt, remque cauponariam exercent, advenas moneant; tunc enim ignorantia ut & error circa leges & officium cuique injunctum ab imputatione non liberat. *Pufendorf de Off. hominis l. 1. c. 1. §. 21.* quod etiam expresse cautum legitur in dicta constitutione, quæ videatur.

XV.

Huc etiam merito referuntur, qui impedire & potuerunt & debuerunt, ne res sive locus sanctus profanaretur; cum illi culpa nequaquam careant. Hi enim sæpe aliorum operationes & actiones tenentur moderari adeoque earum eventus merito his imputantur ut loquitur *Cl. Pufendorf. de off. hominis &*

 civ.

civ.l.1 c.1.§ 18. Cum vero is, cui aliorum cura demandata, omnia fecerit quae directionis sibi injunctae natura ferebat, ubi nihilominus quid ab altero patratum fuerit, patranti soli imputabitur. vid. *Pufend. d.l. &c.* §. *eod.* Neq; excusantur ii qui consilio quicquam perpetrandi alios juvant, quiq; huic rei quasi ignem admovent.

XVI.

Ipse insuper inhabitans locum sanctum, quicquam in eum committere potest quo omnino profanetur. Licet enim Legislator se ipsum obligare noluerit, legemque de re quadam sive loco sancte habendo, aliis praescripserit, si tamen alterius jus per hoc factum laedatur, aut si sit inferior eo qui rei sanctitatem concessit, & in rem illam sanctam recipiat, quem salvo jure superioris recipere non debuisset, omnino peccat. Sic si quis Principum Imperii spreta legum auctoritate, bannitos in arce vel in Palatio suo contumaciter tueri persistat, videat ne palatium in poenam inexpugnabilis contumaciae patiatur aratrum, quale superiori seculo fatum habuit munitissima Thuringiae arx Gochana, dicta Grimmenstein. vid. *R. I. de anno 1567. vers.* Wiewol wir nun. Sunt enim ejusmodi loca in securitatem personarum sanctarum non vero maleficorum receptaculum exstructa: maxime vero interest cujusvis reip. ne delicta maneant impunita.

XVII.

Quod attinet ad res quae pro sanctis habendae sunt, hae sunt vel corporales, vel incorporales. Ex rebus corporalibus sanctae sunt. *Muri, Porta, Asyla, Palatia, Statua & Imagines Principum. §. 10. inst. de*

instit. de R. D. l. 8. ff. h. t. C. tit. de Comitib. & Archiatr. Sacri *Palat.* it. *C. de privileg. eorum qui* Sacro *Palatio militant. & passim.* Quæ res omnes eatenus dicuntur sanctæ, quatenus in eas quicquam moliri nefas est. *Bachov, ad §. 10. instit. d. R. D.* Inter res incorporales eminet Majestas, Superioritas territorialis, Lex, Officium Judicis, Patria Potestas, & similis res. Non incongruum igitur erit singula ordine jam percurrere, & quidem,

XIIX.

I. Muros quod attinet, ii dicuntur sancti in jure nostro Romano. §. *10. instit. de R. D.* Cum enim maxime intersit civitatis ut sarta tecta præstetur, ut ab injuriis & variis privatorum invasionibus sit immunis, merito quælibet Majestas ea, quibus securitas publica obtineri potest non negliget, sed sedulo curabit. Maximum vero erit præsidium quo se suosque tueri possit, si gravissimis pœnis malevolos à murorum læsione & corruptione arcere possit.

XIX.

Dicuntur Muri ea pars munita qua urbes cinguntur: neque tantum hoc vocabulo denoto lapides sive calcem, ex quibus constat murus; sed omnia illa quæ ad muniendam urbem faciunt, qualia sunt valla, aut propugnacula, ad ipsorum murorum sive mœnium defensionem exstructa, etiam muros castrorum. Nam sæpius muro urbs caret, ejusque loco vallo circumducta est, non minus tamen is qui vallum transcendit, si cetera sint paria, ac qui per murum castrum urbemve ingreditur in pœnam incurrit. *Modestinus in l. 3. §. 17. ff. d. re milit.*

XX.

Observanda etiam hic mihi venit illa veterum Romanorum constitutio urbium; in qua admodum erant religiosi. Fiebat autem illa aratri inductione; de qua eleganter scribit *Varro IV. de LL.* Oppida condebant in Latio Hetrusco ritu multa, i. e. junctis bubus tauro & vacca, interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa & muro essent munita. Terram unde exsculpserant *Fossam* vocabant, & introrsum factum *Murum*, postea quod fiebat orbis, urbem. Quae inductio aratri etiam observatur in veteribus nummis; per quam coloniarum deductio significatur. Scilicet apparet in his conditor coloniae cinctu Sabino, stivam tenens, praeeuntibus tauro & vacca junctis. Qualem inter alios plures egregios elegantissime excusum nummum, à *Magnifico Dn. Meibomio Hospite meo ac Mecenate aetatem devenerando*, ex amplissima ejus rariorum veterum nummorum gaza depromtum, me vidisse memini. *vid. etiam Henel. ab Hennefeld. in otio Uratislav. c. IIX. ubi de hisce rebus* accurate differit.

XXI.

Quinam verò muri dicantur sancti inter JCtos varie disceptatur. Non desunt qui affirment urbis Romae muros tantum sanctos esse, idque elicere student *ex l. ult. ff. de R. D.* in qua lege poenam capitis ad muros urbis Romae restringi dicunt, adeoque alias urbes excludunt, quos etiam propterea arguit *Harpprecht. in Comment. ad instit. §. 10. num. 8.* Loquitur sc. *§. 10. instit.*

instit. junct. l. 1. in pr. & l. 8. §. 2. generaliter atque ideo ipsis verbis, quod præsertim *in l. 8. videre* est, municipia exprimit & complectitur; non vero demum per interpretationem ad ea extenditur. *Gœdd. in l. rei appellatio 5. ff. de V. S. num. 16. Ludov. Rom. sing. 743. incip. quæstio est de facto.* Majus tamen interesse Reip hic subest, ut Muri illius civitatis quæ sunt caput vel sedes Imperatoris ac Imperii, aut ubi scrinia, Archiva asservantur, sarti tecti conserventur, quam subest circa cujusvis municipii muros. Unde communiter receptum est, ut civitatum municipalium muri quidem pro sanctis habeantur; non tamen eodem gradu pœnæ afficiatur, qui hos violaverit, quod ipsum præjudiciis confirmat *Jul. Clar. l. 5. sent. §. ult. quæst. 68. Decis. Lucens. 90. num. 14. Boer. Decis. 232. num. 1. & seq. Berlicb. p. 1. decis. 70. num. 5. Carpzov. pr. crim. q. 40. num. 4.* add. *Hahn. ad Wesemb. d. R. D.* Incidit etiam in crimen peculatus qui ex muris quid aufert. *Theod. c. crim. dec. 9. th. 3. lit. C.*

XXII.

II. Et Portæ civitatum eodem cum muris numero habentur. *pr. §. 10. instit. & l. 1. it. l. 8. ff. de R. D.* Huic voci nomen ab importando & exportando impositum videtur. Egregie vero de hujus vocabuli originatione *Cato apud Isidorum. l. xv. c. xi.* Qui urbem, inquit, novam condit, tauro & vacca aret, ubi araverit, murum faciat. ubi portam vult esse, aratrum sustollat & portet, & portam vocet. Neque obstat quod objicit *Plutarchus & Alexander ab Alexand. genial. dierum l. 6. p. 933.* propterea portas non adeo sanctas esse quod varia impura per eam efferantur. Uti enim solem

 non

non inquinat quod varia sordida suis radiis perlustret; ita nec portarum sanctitatem rerum illarum quæ efferuntur impuritas violat. vid. *Bachov. in Comment. ad §. 10. instit. d. l.* Non enim tantum inserviunt portæ ut civitas, arx, vel castellum recte occludatur, & omnes qui ab introitu arcendi sunt repellantur, sed olim apud Ebræos etiam in portis civitatum judicia exercebantur. *Deuteron. XVI. Amos c. V. ibi constituitur in porta judicium.* Et magni momenti est regale, jus fortalitii, jus clavium, intradæ, & aperturæ. *Wesenb. p. I. Consf. 2. num. 18. Bidenbach. quæst. nobil. 12. art. 22. Rosenthal. de feud. c. 2. conclus. 78. Kniche de J. terr. c. 4. num. 497.* Qui igitur portas temere violant ut violatores rei sanctæ sunt puniendi.

XXIII.

Tertio loco ad *Asyla* accedimus; hæc inter res sanctas etiam non immerito referenda. Derivant autem hoc nomen nonnulli ab α privativo & σύρω traho, quod ex eo neminem qui ad id confugisset liceret extrahere. *Covarruvias l. 2. variarum resol. c. XX.* Melius tamen fecisse mihi videor si deduxerim vocem illam à verbo συλᾷν, quod idem est ac rapere, spoliare, violare, cui præfixum est τὸ α στερητικόν, quod etiam approbat *Olearius in tractat. de asylis Ebræorum §. I.* aliam Etymologiæ rationem tradit *Lud. Vives in not. ad August. de civit. Dei l. I. c. 34.* Alii aliunde derivant, *Petr. Gregor. Synt. Jur. lib. 33. c. 21. num. 3.*

XXIV.

Sunt autem Asyla loca ad quæ confugiebant criminis cujusdam ex improviso rei, aliique miseria eo

adacti

adacti, ut ibi securitatem usque ad delicti fortunæque cognitionem consequerentur. Et dicendum quidem est, esse *asyla alia locorum sacrorum*; qualia olim fuisse legimus Ecclesias, templa, altaria. Sic confugit ad Altaris cornua Adonia ut ibi misericordiam impetraret ob Numinis reverentiam *I. Reg. I. vers. 49.* Neque videtur displicuisse iste modus quo miseri tuti esse poterant ipsi Deo, quod sæpius in scriptura licet observari. Exprobravit etiam ipse Christus Judæis homicidium Zachariæ filii Barachiæ quem occiderant inter templum & altare, cujus vindictam in illis futuram prædixit *Matthæi c. XXIII. vers. 35. & 36. Virgilius inquit lib. 6. Æneid.*

Talibus orabat dictis, arasq; tenebat.

Et templa quidem semper fere jus asylorum habuisse satis ex historiis constabit, neque denegarunt illud privilegium templis ipsi Ethnici: *Augustin. de civ. Dei lib. 1. c. 4.* Demetrius quamplurima privilegia populo Judaico concedens, inter cetera hæc adjecit. *Maccabæorum c. x. vers. 43. Et quicunq; confugerint in templum quod est Hierosolymis & in omnibus finibus ejus obnoxii Regi, in omnibus negotiis dimittantur & universa quæ sunt eis in regno nostro libera habeant.* Idem etiam testatur *Maro Æneid. 1* dum ait:

Cunctis nam læti navibus ibant
Orantes veniam & templa clamore petentes.

Nec invitus ab Ecclesia extrahendus *l 2. l. 6. C. de his qui ad Eccles. conf.* Et Jure Canon. licet gravia delicta

quis

quis perpetraverit ab Ecclesia extrahendus non est. *c. 6. X. de imm. Eccles. Covarr. l. 2. Varr. resol. c. 20. n. 1. in f. n. 6. vers. septimo deducitur.* Quæ immunitas etiam hospitalibus concessa, imo & circuitus Ecclesiæ à violatione immunis. *c. sicut antiquitas XVII. 4. Oldrad. cons. 55. Farin praxi crim. l. 1. q. 28. n. 36.*

XXV.

Alia sunt *locorum profanorum* qualia olim fuisse legimus in sacris Urbes, quæ hunc in usum institutæ reperiuntur, uti nimirum ii qui inopinato homicidio manus commacularant à vindice sanguinis (ut loquitur Scriptura) tuti essent. *Numerorum. XXXV. vers. 6. & pass.* Scilicet jubebat Deus separari has urbes Refugii tam filiis Israël quam advenis & peregrinis, ut confugeret ad eas qui nolens sanguinem effudisset; in quibus cum fuisset profugus, cognati occisi non possent eum occidere, donec staret in conspectu multitudinis & caussa ejus dijudicaretur. *Numerorum XXXV. vers. 10. Deuter. XIX. vers. 2. Jos. XX. vers. 2.* Voluit nimirum Summum Numen ut iis, quibus ipsum verisimiliter parceret, & ab hominibus parceretur, neve sæpius innoxii in supplicium traherentur, sanguisque humanus ab hominibus, vindictæ utplurimum cupidissimis, temere effunderetur, atque ita ex minori malo majus erumperet. De urbibus Germaniæ quæ gaudent Jure *Asylorum vid. Rittershus. de asyl. p. 23.* Etiam in statuis Cæsarum fuit quandoque Jus asyli *l. 17. §. 12 ff. de Ædil. edict. l. 1. C. de his qui ad stat. confug.* Quin & privatis domibus hoc privilegium concessum refert *Magerus de Advocat. armat. c. 1. n. 93.* quæ vocantur Cent=Freye=Häuser.

XXVI. Asyla

XXVI.

Asyla etiam quamplurima habuerunt Ethnici, inter quæ non ultimo loco referendum illud à Cadmo positum constructis Thebis, ad replendam urbem incolis, quod, ut ferunt nonnulli, etiam antiquissimum est: illud etiam Herculi adhuc viventi positum apud Nili ostium Canopium; illud Romuli ad locum opacum & vallem inter Capitolium & arcem, de quo Ovidius:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Pluraque alia quæ hic enumerare supersedeo, vid. Lud. Vives *ad Augustinum de Civ. DEI l. 1. c. xxxiv.* Ita vero Ethnicorum asyla fuerunt comparata, ut quamvis initio nonnisi illis, quos inopina miseria depresserat profuerint; tamen deinde cuivis scelesto etiam ex proæresi delinquenti paterent; ut Tiberius Imperator etiam in eis si non omnino abrogandis, ad certum tamen numerum formamque redigendis admodum esset solicitus. Quem abusum etiam animadvertens Carolus M. usque adeo asyla non erexit; ut etiam flagitiosis ea ademerit lata lege, ut fures, adulteri, homicidæ, aliive criminosi, si ad asylum templumve fuga elapsi forent, repeterentur. *Aventinus l. iv. Annal. Bojor.* & Gryphiander *de Weichbild. Saxon. c. lxxvi. §. 20.* Quod magni Principis institutum salutare admodum fuit; ne forte illi qui ex proposito peccarunt, ut dolosi homicidæ, adulteri, fures, virginum raptores, aliique in ejus clementia refugium & asylum invenirent. Delicta enim non debent manere impunita, & abominatio est coram Domino qui

absolvit impium, ac qui parcit lupis necat oves. Quod etiam expresse cautum legimus in lege cum divina *Exod. xxi. vers. 14.* tum humanâ *N. xvii. c. 7.* Sunt enim asyla ad hoc erecta ut iis qui misericordiam merentur subveniant; non vero ut malitiosis in criminibus perpetrandis patrocinium præstent, & sint latronum speluncæ. *Molin. ad Consuet. Paris. tit. 1. §. 51. gl. 2. num. 65. & seq.*

XXVII.

Quando autem locus aliquis hoc jure Asyli est munitus, ne quidem licet obsidere illum locum in quem miser confugit, ne ad illum alimenta deferantur; *Guid. Papa Decis. cxxi. num. 2. Covarruv. l. 2. Var. Resolut. c. xx. num. 17.* Quamvis vero manifesti criminis rei non gaudere debeant immunitate; an tamen cuivis Magistratui vel judici competat potestas statim facinorosum extrahendi ex illo asylo, non una omnium est sententia. Quidam enim statuunt quod Episcopus vel Prælatus delinquentem seculari potestati tradere debeat; nec secularis judex irrequisito Prælato extrahere possit *G. Papa Decis. cxxi. Farin. prax. Crim. l 1 q. 28. num. 76.* Plerique tamen asserunt quod eo casu ubi confugiens ad asylum indignus est isthac immunitate, non opus sit consensu Prælati, sed judex propria auctoritate eum extrahere possit. *Boër. decis. 100. n. 3. Papa d. decis. 121. Clar. pr. crim. lib. 5. § f. q. 30 n. 20.* Si tamen is qui asylum habet simul habeat jurisdictionem in illo loco, ejus consensus requirendus, *Klock. v. 1. c. 10.*

XXIIX.

Patuerunt vero asyla in gentilismo (1) Servis, (2) Cri-

(2) Criminum qualiumcunque etiam reis, (3) Obæratis, de quibus etiam *Tacitus* eleganter ita refert: *Complebantur templa pessimis servitiorum*, & addit: *eodem subsidio obaratos & tandem suspectos capitalium criminum fuisse receptos*: De Asylis tamen omnibus ita tenendum, ut asylum absque immunitate loci vix concipi possit. Non vero ab omni debito, delicto, æreve alieno statim asyla reos liberarunt, sed tantum exsecutionem & persecutionem ad tempus distulerunt, ne iniquæ de innocentibus sæpe poenæ sumerentur causa nondum adhuc cognitâ, iisque malum injustum ab iracundis sæpe infligeretur.

XXIX.

Qui autem captivus ducitur per locum qui gaudet jure asyli, is non est in illum locum recipiendus; *arg. l. 6. C. de ædif. priv.* Nam asylum confugientem ad locum securitatis tantum tuetur, si adhuc liber sit, *Mylerus ab* Ehrenbach *de Princip part. 11. c. 2. num. 6.* unde reprehendi solet Baldus qui statuit Cardinalem habere privilegium liberandi reum capitis ad supplicium ducendum sibi obviam factum, *Mager. de Advocat. arm. c. xv. num. 85.* Præterea quædam asyla tantum temporariam præstant securitatem *Mager. d. l. num. 94. & seqq.*

XXX.

Sed num è re sit reip. ejusmodi asyla habere meum quidem hic non est disquirere, hoc tamen asserere non dubito; nisi excesserint finem, & intentio-

nem primæ fundationis, iisque abutantur homines, posse quidem ea in rep. tolerari, attamen non esse adeo necessaria, cum quælibet resp., quæ aliàs bene se habet, magistratibus aliisve auxiliis satis sit instructa; ita ut asylis prorsus non indigeat, cum hi innocentibus sint instar asylorum, neque adeo longe absint, ut facile ab omni injuria eos liberare possint. Vide tamen *Klockium vol. I. c. X. num. 331. & sequentib.* ubi late defendit, licitum esse Christianis asyla retinere.

XXXI.

Reperiuntur etiam hodie quamplurima adhuc asyla in orbe universo Christiano, præsertim vero passim in Germania, quæ sæpe non insidias tantum timentes tuetur, sed & quibusvis sontibus patrocinatur, excepto certo reorum genere, quos *Magerus in tit. CIX. de Advocat. armat.* passim enumerat. Et sunt ea asyla multæ arces principales in quibus aula fovetur, der Burg-Frieden in Fürstlichen Hoffstätten. Securitas castrorum der Vestung und Krieges-Lager aliaq; plura. Vid. *Magerus de advocat. armata c. XV. num. 93.* Ubi inter alia egregie recenset multas arces quæ hodie hoc privilegio gaudent. Inter quas eminet curia Monasterii Adelbergensis apud Eslingenses: it. Neopyrgum oppidum Wirtenbergense: oppidum Alsatiæ quod vocatur Oberberkheim Singulare tamen habet celeberrimum Monasterium Salmanschweiler/ in quo & bannitis tutis esse licet, quod privilegium Carolus V. ei indulsit.

XXXII.

Non reticendus hic est maximus asylorum apud Pontificios abusus, qui tam nocentibus quam inno-

nocenti-

nocentibus in suis canonibus ea constituunt. *Clar. pract. crim. lib. 5. §. fin. quæst. 30.* Obverti illis saltem posse existimo illud Christi, qui templa Dei speluncas latronum fieri acerrime prohibuit, & quod Deus sit criminum ultor non protector, quodque noxiis pœnam non remitti publice intersit, ne ad maleficia temere quisquam prosiliat *l. 14. C. de pœn.* cumque incongruum admodum sit (ut ait Imperator) personas in venerabili loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt: totque contra illos militant rationes quibus enarrandis totus non sufficeret dies.

XXXIII.

Sed quæritur: an Princeps aut Status Imperii in suo territorio asylum constituere & locum quendam tali privilegio munire possit, ut homicidæ illuc fugientes à pœna liberentur? Quod omnino affirmatur: cum illud jus illis ex superioritate territoriali quam habent competat; modo non patrocinentur dolosis, sed imprudentibus homicidis, so aus Zorns Hitz übereylet sind/ omnemque pœnam non prorsus tollant, sed tantum à carcere aliisve incommodis, quæ eos sequi possunt ad tempus liberent. Si tamen suspecti sint de ulteriori fuga, præstat certe eos potius ad pœnam rapi quam prorsus elabi *Myler. ab Ehrenbach de Principibus & Statibus p. 2. c. 51.*

XXXIV.

Pergo ad Statuas Imperatorum & Principum; quæ haud raro leguntur Jus asylorum habuisse *Rittershus. de J. Asyl. c. 13.* Solebant enim veteres Statuas publice dedicare & consecrar. Diogen.

 lib.

lib. 3. in vita Platon. Lipſ. *Comm. ad Tacit. lib. 3. Annal. verb. cum Marcelli effigiem Divo Auguſto Julia dicaret p. 181.* Dempſter *in add. ad Roſin. antiq. Rom. lib. 9. c. 7. p. 369.* Rittershuſ. *de J. Aſyl. cap. 13. num. 9.* Solebant etiam majoris venerationis gratia publica ſpectacula die dedicationis adhiberi. Sozomen. *lib. 8. hiſtor. Eccleſ. cap. 20.* Ob venerationem Principum, plerorumque Statuæ pro aſylis habitæ ſunt. *l. un. C. de his qui ad ſtat. Princip.* quemadmodum etiam recte loquitur *Emundus Frigelius de Statuis illuſt. Roman. cap. XXXIV. in princ.* quæ interdum iis adhuc viventibus interdum vero jam tum vita defunctis in honorem ob benemerita in remp. erecta ſunt. Ad has ſtatuas omnes rei ſpe patrocinii publice confugiebant, ut à pœna & periculo initio tuti eſſent ſupplices, neque abripere inde quemquam privata auctoritate ſine graviſſimo crimine decebat.

XXXV.

Confugiebant etiam olim non infrequenter ad eàs Servi nimia dominorum ſævitia preſſi, ut ſibi hac fuga conſulerent, nimiamque dominorum aſperitatem hoc modo à ſe declinarent, usque dum de cauſa cognoſceretur. Quos etiam deinde ubi ipſorum cauſa prævalebat jubebantur domini bonis conditionibus vendere & pretium pro iis accipere. § 2. *inſtit. de his qui ſunt ſui l. alieni juris*, aliàs vero gravioribus delictis obnoxii & ſceleribus, deſidiæ, petulantiæ ibi auxilium quærentes, magiſtratus auctoritate inde extracti dominis reddebantur. *l. ſi ſervus cujusquam C. de his qui ad eccleſiam.*

XXXVI.

XXXVI.

Quod vero plerumque accidere solet omnibus rebus, ut earum piissima & optimum in finem facta fundatio sæpius in malitiæ tutelam devergat, hoc etiam de statuis Principum potest observari, quippe multi confugiendo ad Statuas Principum non tam evadere periculum & injurias, quam aliis, quibus malecupiebant, inferre conabantur. *de quibus etiam videri potest.* §.26. *disput. nostræ.* Sed hoc deinde salutari admodum lege correctum legimus. *l. capital.* §.7. *ff. de pœn.* verba hæc sunt. *Ad statuas confugere vel imagines Principum in alterius injuriam prohibitum est.* Item *l. un. C. de his qui ad stat. Qui ad statuas vel vitandi metus vel creandæ invidiæ causa confugerint, si certas habuerint causas, quibus confugere ad imperatoria simulacra debuerint jure ac legibus vindicentur. Sin vero probati fuerint artibus suis invidiam inimicis creare voluisse, ultrix in eos sententia proferatur.*

XXXVII.

Illi qui confugiebant ad statuas, eas vel amplectebantur; ut refert Tacitus *l. Annal. Planco maxime, inquit, quem dignitas fuga impediverat; neq; aliud periclitanti subsidium quam castra primæ religionis, illic signa & aquilam AMPLEXUS religione se tutabatur:* vel earum

basi

basi sive pedibus advolvebantur faciunt huc verba Chrysost. *nonne vides quam multi eorum qui injuria afficiuntur ad statuarum pedes confugiant? Tametsi materia est sensu destituta & aes animae expers: sed quoniam Imperatorum sunt illae imagines; aliquam se à pedibus illis opem impetraturos confidunt.* Vel plane; (id quod nimium erat) eas in opem advocabant in necessitatibus; aut aliquid ad eas agebant movendis ciendisq; affectibus. De hoc modo eleganter habet Plutarchus in *Caesare c. XCIV.* de Cassio Caesaris interfectore ita referens. *Eo in loco ubi Senatus est habitus vel caedes peracta, Pompeii statua tum jacebat, ferturque Cassius ante factum ad statuam Pompeii respexisse tacitusque eum invocasse.* Idem & in Bruto tradit. *c. XXV.* fertur inquit Cassius Pompeii Statuam conversa facie, hunc quasi sentientem ad auxilium vocasse; aliique erant modi quos silentio praeterimus, quosque eleganter notavit *Emundus Frigel. libro & loco cit.* Rittershuf. *de Jure Asyl. c. 13.* Adam. Conzen. *lib. 7. pol. c. 5. §. 2.* Salmuth. *ad Pancirol. lib. 1. Rer. memor. Rub. pyramides pag. 219.*

XXXVIII.

Quod jam diximus de Statuis Imperatorum & Principum idem quoque jam revocamus, ad eorum *imagines*; quae in non minori pretio habebantur. *arg. tit. C. de stat. & imag. Princip.* Referunt impietatis quidam damnatum quod servum suum percussisset, qui Drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat. Hopping. *de Jure insign. c. 20. num. 202.* Et per L. Cornel. non licuit nummos Principum conflare: ob eo-

ob eorum imagines, & citra Majestatis crimen imagines Imperatorum conflare non licuit. *l. 4. inf. l. 6. ff. ad L. Jul. Maj. l. 1. C. de aur. publ. persec. l. 1. C. Theod. si quis pecun. conflaverit.* & in eas quicquam perpetrari maxime erat legibus vetitum, quod deinde audiemus, ubi de earum violatione agemus. Adeo vero sanctæ eæ fuerunt apud Romanos, ut asylorum jus illis tribuerent, multique eas in aliorum injurias portarent, (de quo etiam agit *l. 28. §. 7. in f. ff. de pœnis.* ubi gravis in eos pœna statuitur;) seque hoc modo tutos putarent, non sine maximo ad quamvis petulantiam in alios exercendam instinctu. Gestabant autem eas vel in annulo, vel præferri sibi curabant, vid. *Emund. Frigel. l. c.* Et huc etiam referendi nummi quibus eorum facies impressa erat; qui itidem sancti erant, ita ut Svetonius in vita *Tiberii c. LIIX.* quendam qui effigiem Cæsaris nummo vel annulo impressam latrinæ vel lupanari intulerat, capite punitum referat.

XXXIX.

Sed missis Imperatorum statuis & imaginibus, ingredimur jam eorum Palatia, quid de illis dicendum expofituri. Dicuntur Palatia in jure nostro ædes in usum Imperatoris comparata, & ab omni privatorum usu & communi habitatione excepta. *l. 14. C. de offic. Rect. provinc. l. 17. C. de oper. publ. l. un. C de palat. & dom. domin.* Ahasverus Fritschius *in tract. de Palat. c. II. num. 5.* ita ea describit, quod sint ædes ad perpetuam vel temporariam habitationem Principis, ejusve Palatinorum usum in civitate comparatæ vel exstructæ; quam descriptionem partim desumtam esse

exifti-

existimo ex *Lehmanni Chron. Spirens. l. III. c. 33. statim initio* ubi dicit. Palatia seind vorzeiten genennet / der Käyser / Könige / und deren Stadthalter / Hoffstäthe und Wohnung / denn also werden die palatia beschrieben: *Palatia dicebantur ubicunque domus aut mansio Imperatoris aut Præfecti erat.*

XL.

Sumitur autem vox Palatiorum vel late vel stricte. In priori significatione etiam privati hominis magnificas & amplas ædes ad similitudinem Palatiorum & regiarum exstructas comprehendit. vid. *Rosin. antiq. Rom. l. 1. c. 5.* Si stricte accipiatur, non nisi domicilium denotat sive habitationem Imperatoris & hodie etiam Principum der Käyserlichen oder Fürstlichen Höffe. In quo posteriori significatu eam vocem accipi notavit Limnæus in additamentis *ad capitul. Caroli V. p. 304.* ubi inter alia ait; Hoff significat domum & Palatium Principum ac Dynastarum, qualia non tantum in civitatibus præcipuis, ubi ordinaria cujusque Dynastarum sedes est exstant, verum etiam in civitatibus Imperialibus & alibi Ita Argentorati videmus den Brücken Hoff / den Marggräfischen Durlachischen Hoff / den Hennebergischen / Hanauischen Hoff / ꝛc. sed hæc vox præcipue de Principum secularium sede usurpatur, uti contra Ecclesiasticorum sive Pontificis sedes vocatur Stuhl. vid. *Limnæus ad art. 1. d. capitul.*

XLI.

Et hoc modo accepta Palatia in jure nostro Romano sæpius dicuntur sancta, sacra, it. sacratissima. *l. 14. C. de off. Rector. provinc. tit. C. de Comit. & Archiatr.* *sacri*

ſacri Palat. tit. C. de privilegio eorum qui ſacro palatio milit. Scilicet dicuntur ea ſacra eâdem ratione qua civitatum muri ac portæ *in l. 8. & l. ult. ff. de R. D.* quod non ſint violanda, ob Imperatoris Principisve venerationem, cujus ſunt ſedes. Imo dicerem fere ſanctiora habenda eſſe, cum ea caput civitatis & totius reip. concludant; à cujus ſalute & auctoritate omnium in rep. ſalus & utilitas dependet: & locus merito, ut ipſe homo ſuam habet Majeſtatem, *Boterus de orig. urb. l. 2. c. 11. in pr.* utque Imperialis fortuna omnes alias ſupereminet, ita oportet & principales ædes culmen habere præcipuum; ut in aliâ re loquuntur Impp. *in l. 7. C. de bon. quæ liber.* Imo ex hiſtoriis conſtat apud omnes fere gentes ab antiquo Reges ſua habuiſſe palatia, aulas atque curias, ab uſu privatorum ſeparata *vid. D. Fritſchius tract. de palat. c. 3. n. 1.*

XLII.

Inter alia jura, prærogativas atque immunitates quibus gaudent Palatia Principum, non poſtremum audit Securitas publica, vulgo der Burgfrieden. Affixum enim arcibus eſſe ſolet ſignum cui inſcripta pax publica, quo ipſo & alia interdum loca ſanctificantur & ab omni injuria eximuntur *Harppr. ad §. 10. n. 22. inſt. de R. D.* & habent quidem hoc privilegium, ut brevibus hoc tangam Palatia Principum ſive Statuum Imperii ſui naturâ ac per ſe, ex ſuperioritate territoriali. Ubi enim Princeps degit, ibi ſecuritas exiſtit, modo Princeps ibidem curiam celebret aut teneat. *arg. l. 1. C. de his qui per met. jud. l. ult. ff. quod metus cauſſa. Mart. Mager. de Advocat. arm. c. XV. num. 93.* Deinde etiam habent jus aſylorum per

 l. un.

l. un, C. de his qui adstat. confug. quod jus jam ante tot secula habuerunt, ut hoc egregie demonstrat de Regum domibus *Mart. Mag. l. c. n. 83.*

XLIII.

Præter enumeratas res corporales quæ sanctæ habentur, sunt & res incorporales quædam sanctæ, ita Majestatem esse rem sanctam & inviolabilem, Divinæ & Romanæ leges docent. Sic Imperatores Romani dicti Sacratissimi. Item *Sacra nostra pietas l. 3 C ubi Senatores.* De Titulo Sacri Romani Imperii vid. Boecler. *in Append. ad Not. S. R. I.* Rescripta quoq; Imperatorum passim dicuntur sancta, *Sacrum oraculum* §. *11. I. de Adopt. Sacrum encaustum* à liquore purpureo quo subscriptio Imperatoris fiebat *l. 6. C. divers. rescript.* etiam Leges dicuntur sanctæ. Et dum parentum persona liberis semper sancta & honesta esse debet, etiam jus parentum in liberos pro re sancta habendum. Et quamvis plures res incorporales sanctæ colendæ, sufficiat tamen pro instituti ratione quasdam tantum attigisse. Accedimus ad violationem rerum sanctarum imprimis corporalium.

XLIV.

Violantur autem res Sanctæ si illis ex proæresi vel sponte injuria inferatur, quod variis fit modis. Sic ut ordine quo cœpi progrediar, Muri violantur si quis eos dolo malo & hostili animo transcendat; quod etiam indigitatur in *l. ult. ff. de R. D.* ubi ait Pomponius, quod muros transcendere hostile sit ac abominandum. *vid. Harpprecht in Com. ad inst.* §. *10. de R. D. num. 10.* Non tamen eodem numero censendus, qui necessitate adactus, sc. adversarium insequentem fugiendo

giendo cum aliter mortem evitare non posset, muros transcenderc cogebatur; hîc enim cessat ille animus violandi, & ignoscendum ei qui pro vita servanda quicquam debuit admittere. *Harpprecht. loc. cit.* quem casum tamen rarissime evenire puto. Aliter vero statuendum fuerit, de eo, qui etiam necessitate quidem impulsus muros transcendendo violaverit, si sc. hoc ipso hosti quasi viam monstraverit, ubi facilius urbs possit impugnari & incursus fieri; dum forte fossæ non ubique eadem profunditas aut murorum idem est valor, hic vero non ignarus eorum conditionis hosti veluti eam suo transitu probat.

XLV.

Non melioris audiunt farinæ, qui in muris, vallis aut propugnaculis ambulant, animo eorum conditionem, utrum bene munita sint an non, explorandi; in quos non minus ac in quosvis proditores erit animadvertendum. Quod etiam propterea non paucis in locis videmus prohibitum, & poterit etiam cognosci ex saluberrimâ hanc in rem editâ constitutione Ser^mi Principis Augusti, gloriosæ memoriæ, in edicto de Pace Burgensi Guelpherbyti olim affixo; in quo hæc leguntur verba: Es soll auch keiner auff oder über unsre Vestung/ Staket und Wälle vorsätzlicher oder verdächtiger Weyse gehen/ steigen/ oder lauffen. &c:

XLVI.

Murorum sanctitati non minus obstabit, si absque superioris consensu illis quicquam conjungatur vel supponatur, *l. 8. in f. ff. de Rer. Div. l 11. C. de oper. publ. vid. Schneidewinus in Comment. ad inst. §. 10. de R. D. in c. 2.* Peccant etiam qui propria auto-

ritate eos perfodiunt, feneſtras in iis ponunt, aut aliquid quo ipſi civitati nocere poſſint admovent, qui deinde pro ratione delicti merito conveniendi ſunt. Conſtare enim his rebus ſua debet auctoritas, quæque in univerſæ civitatis emolumentum exſtructa, non ita à quovis privato ſine illius conſenſu qui in civitate τὸ κύριον habet pro lubitu uſurpari debent, & ſalus publica hîc cuivis privatæ ſive utilitati ſive voluptati erit anteponenda.

XLVII.

Sed quæritur hîc occaſione mœnium: An cuivis liceat civitatem ſive oppida vallis ſive muris circumducere? & reſpondeo diſtinguendo ſc. qui civitatem munit, aut habet jus Majeſtatis vel Superioritatis territorialis, aut eſt alii ſubjectus, & verſatur in eo quoddam jus tertii. Priori caſu nullum eſt dubium quin id facere poſſit. Sic & Principes & Status Imperii hoc jure utuntur, *art. IIX. inſtr. Pac.* §. *gaudeant* modo illud fiat ſui defenſionis gratia nec ad alterius æmulationem aut contra vicini privilegia. *vid. Mylerus ab Ehrenbach part. II. c* LXXVII. *§. 3.* Poſteriori vero caſu dicendum non alio modo illud jus tali competere, niſi quatenus illud ei à ſuperiore conceſſum fuerit, ne forte hoc velamine in ipſius domini directi & ſupremi perniciem utatur.

XLIIX.

Ad portas civitatis quod attinet, illæ non minus ac mœnia habentur pro ſanctis, ut ſupra audivimus, adeoque eodem jure gaudent, ut æque puniendus ſit ille qui portas ac qui muros violaverit. Violantur autem portæ civitatum, ſi quis eas tranſcendat aut

aut prorſus rumpat & effringat. *Schneidew. in comment. ad inſtit. §. 10. de R. D. in c. 3.* & quovis alio modo quid hoſtili animo in earum, atque ita in totius civitatis injuriam committatur.

XLIX.

Aſyla violant hi qui in loco, ubi eadem conſtructa, quicquam committunt, quo honor qui ipſis debetur læditur. Sic qui furto in ejusmodi loco ſe obnoxium reddiderit, qui ſtuprum alicui intentaverit, is magnæ certe pœnæ ſe hoc facto ſubjicit: item qui inde eum qui eo confugerat ſine Magiſtratus auctoritate & ante cauſam cognitam abſtractum ad ſupplicium rapit: & plures jam modi ſequentur ubi egero de ſtatuis Imperatorum & Principum.

L.

Statuas & imagines Imperatorum & Principum omni tempore ſanctiſſime habitas fuiſſe conſtat ex illis quæ ſupra enarravi, non ingratum igitur erit ſi hîc modos illos recenſuero quibus eædem violabantur. Fiebat autem id variis modis & (1) quidem traductione in pompa funebri; ſc. inter Deos relatis nihil jam amplius rei eſſe debere cum hominum mortalitate æſtimabant. & magna pœna afficiebantur ii qui id faciebant (2) Abolitione *l. qui ſtatuas ff. ad L. Jul. Majeſt.* (3) Alienatione. Sic Falanio ut graviſſimum crimen objectum, quod venditis hortis & Auguſti ſtatuam ſimul vendidiſſet. (4) Si depoſitæ rurſus non erigerentur (5) Si quis lapidis jactu eas tetigiſſet ex proæreſi. (6) Membrorum mutilatione aut ornamentorum ſpoliatione. (7) Affixis ignominioſis & famoſis libellis (8) Si quid prope eas

irreve-

irreverenter, crudeliter, indecore, aut turpiter ageretur. Sic si quis servum apud eas cæderet, vel se nudaret: & Neroni exprobratur quod Statuam quandam urina contaminaret. Item (9) si quis imaginem nummo vel auro annulove impressam latrinæ aut lupanari inferret: & (10) huc referendos censeo Pseudomonetarios istos qui nummis suis adulterinis sanctam Imperatorum Principumve imaginem imprimunt.

LI.

Palatia Imperatorum & Principum iisdem fere modis, quos superius enumeravi, violantur. De Pace Burgensi tamen hic addendum, quod ista, ut est in singulare munimentum Palatiorum introductnm, ita & multis modis possit violari. Fit autem istud, alium in ejusmodi loco vel injuste aggrediendo, aut lacessendo, vel alapam infringendo, variisque aliis rationibus. Eleganter partim hi modi exprimunrur *in Constitutione de Pace Burgensi Ser^mi Principis Augusti*, ubi ita legitur. Es soll keiner in den benahmten örthern (*ubi pax* Burg. affixa est) den andern vorsetzlicher muhtwilliger Weise mit Wehren wie die Nahmen haben mögen / einigerley Weise verwunden / vergewaltigen / und verlätzen oder beschädigen / auch sonsten schälten / schmähen ꝛc. Etiam iste hanc pacem violat qui cum impedire potuisset non impediebat, quod ex verbis dictæ Constit. statim sequentibns elucet. Non vero reus est fractæ pacis in ejusmodi locis, qui vim intentatam, cum aliter non possit vi à se declinat & propellit, si tantùm modum servaverit nec fines defensionis egressus fuerit, tunc is etiamsi alium læserit vel prorsus

inter-

interemerit non tenebitur: injuriæ enim propulsatio sæpe terminum vel limites loci non agnoscit.

LII.

Insuper notandum, tam sancta apud plerosque Palatia haberi, ut si quis tantum dolose, quovis modo id etiam fiat, deliquerit, vel temere quid admiserit, etiamsi non semper cogitata finem consequantur, statim fractæ pacis Burgensis reus sit. Sic manus elevatione ad percutiendum alterum suo modo violatur pax Burgensis, quod praxis Imperii Romano-Germanici observat, Wann einer in den Residentzen nur die Hand auffhebet/ so ist der Burg-Frieden gebrochen; videatur. *Mylerus ab* Ehrenbach *part. II. c. 52. §. 8. de Statib. & Princip. Imp.*

LIII.

Sed quæritur: anne etiam Princeps loci sanctitatem violet, si ipse quendam ibi percusserit? Et videtur negandum; cum Princeps legem istam de Pace servanda non sibi sed aliis tulerit, ut etiam in omnibus aliis legibus Princeps non se sed subditos obligare intendit. *l. 1. ff. de Constit. Principum.* Melius tamen facit & optimum exemplum præbet, si ut Legislator ipse id observet quod in aliis justum putavit. *l. 4. C. de legib.* præsertim si securitas in gratiam tertii sit concessa, Princeps enim ex promissione tertio vel expresse vel tacite facta omnino naturaliter obligatur, nec jus alteri competens temere auferre potest. *Dn. Præses in dictatis ad tit. ff. de LL.*

LIV.

muros vel portas tranſcendunt pœna capitis ſtatuta eſt. *§.10. inſtit de R.D. & l. ult. ff. eod. Gilbertus Reg. l.2. ἐναντιοφανῶν c.4. Harpprecht. & Schneidewin. in Comm. ad §.10. de R.D.* Quamvis non deſint qui pœnam hanc nimis aſperam dicant, quod nihil ita ſanctum & venerabile eſſe debeat propter quod homo occidatur, quorum nomina vid. *apud Bachov. in Comment. ad d.§.* Attamen pœnam iſtam irrogari ipſe Remus ſuo præjudicio confirmavit. *l. ult. ff. de R.D.* Nec obſtat quod hic dicunt, non mirum eſſe ex fratribus lupino lacte nutritis alterum ab altero eſſe devoratum, & è medio, regendi cupiditate, raptum. Erat enim lex poſita de non violandis mœnibus, qua non ſervata Remus juſtæ ſe ſubjiciebat pœnæ. Et recte quidem notat Schneidewinus in *Comment. ad d. §.* in bene conſtitutis & florentibus rebuspubl. hanc pœnæ ſeveritatem in vigore eſſe, addita ratione, quod niſi civitatum muri aliqua ſeveritate cuſtodirentur, non præſtaſtarent reip. ſecuritatem nec poſſent iis cives fidere. Et quamvis inter muros & portas tanquam res inanimatas, & vitam hominis nulla ſit proportio: attamen hæc violatio munimentorum vitæ nocere poteſt, & ſic inter delictum per quod vitæ hominum & ſecuritati damnum inferri poteſt, ac vitam hominis delinquentis poteſt eſſe proportio. Sed hoc omne de jure civili: aliter tamen erit dicendum de iis locis ubi alia ſunt ſtatuta vel conſuetudines.

LV.

An vero hac eâdem pœna afficiendi, qui municipalium urbium muros tranſcendunt, dubitatur, & varie inter DD. diſceptatur nonnullis rigidiorem quibusdam

busdam vero leniorem viam ſequentibus, quorum nomina una fere pagina in *Harppr. Comment. ad inſt. §.10. de R. D.* non capit. Ahaſverus Fritſchius tunc demum hanc pœnam locum habere exiſtimat, ſi tempore guerræ vel hoſtilitatis publicæ quis muros violaverit, aliter vero eſſe ſtatuendum, ſi ceſſante periculo tempore pacis id fuerit factum. *vid tractatus ejus de Palat. Principum, c.XII. num. 11. & 12. & ſeqq.* Communiter autem Dd. ſtatuunt pœnam hodie eſſe arbitrariam.

LVI.

Qui ædificia nova muris urbium ſine ſuperiorum conſenſu adjungi curarunt, ea rurſus diruere tenentur *l. 14. C. de operib. publ.* quando ſc. uſui publico nocent: pugnat enim contra eos *l. 8. §. ult. ff. de R. D.* quæ muris quicquam conjungi aut ſuperponi ſine Principis vel Præſidis auctoritate prohibet. Idem etiam de iis dicendum qui feneſtras in iis poſuerunt, aut alio quovis modo nocent, quos pœna arbitraria plectendos cenſent.

LVII.

Qui aſylorum loca violant, etiam pro ratione delicti interdum pœna capitis interdum alia ſunt afficiendi: & Statuarum nomine varia equidem competunt juris remedia ſive actiones partim reales partim perſonales partim civiles partim criminales ſive pœnales. Sic (1) competit rei vindicatio; quâ is qui ſtatuam ſive imaginem in publico poſuit eam poteſt vindicare *arg. l. 3 C. de Stat. & imag.* (2) actio injuriarum, contra illum qui ſtatuam in monumento poſitam

cum locum ponatur cum tamen illa ornamento reip. sive civitati sit futura & jam sit à Majestate concessum, competit interdictum *ne vis fiat ei l.2. ff. de loco publ. fruend.* deinde removens statuam in municipio positam tenetur interdicto *quod vi aut clam. l 11. §.1. ff. quod vi aut clam.* (4) Qui Imperatorum & Principum statuas abolet aut conflat & in informem massam redigit, nulla necessitate urgente, Læsæ Majestatis crimen admittit *l. qui statuas ff ad L. Jul. Majest.* ibi *dicitur* : *qui statuas aut imagines Imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudve simile admiserint, Lege Julia Majestatis tenentur. l. famosi §.4. ff eod.* Ejusdem pœnæ candidati erant qui lapidis ictu eas ex proæresi petiissent *l. 5. eod.* Qui imaginem portabant in alius injuriam carcere olim afficiebantur. *l 28. §. 7. ff. de pœnis.* Qui membra statuarum mutilabant, ornamentisve eas spoliabant rotæ supplicio punitos, & multos hanc ob rem carnifici traditos sacrilegiique pœna multatos probat. *Dio Chrysost. orat. xxxi. Rhodiacâ.* Et in genere de Regum statuis ita scribit *Lactantius l.2. c. 4. Nec Deorum tantum sed Imperatorum & Regum Statuæ ita cultæ sunt, ut qui violaret, contaminaret, aliave contumelia afficeret, Majestatis reus fieret.* Ridiculam pœnam commemorat Martialis *Epigramm 79. l. xii.* histrioni cuidam inflictam qui ante Jovis statuam in Capitolio ventris crepitum emisit, dum Jovem salutaret, quam dicis gratia huc ponam. Epigramma est tale:

Ante Jovis statuam crepuit fatur histrio: pœnam
Jupiter indixit, vivere de proprio.

sc. de propriis ventris sordibus. Sed hæc obiter. Pœna Pseudo-

Pseudomonetariorum hodie est ex *Constitutione Carol. V. artic. cxi.* poena ignis, *vid. Clasenius in Comment. ad d. art.* qui dicit, quod Læsæ Majestatis crimen committat qui monetam falsificat & imaginem Principis suæ adulterinæ monetæ imprimere non erubescit *l 2. C. de falsa moneta.*

LIIX.

Omne quod committitur in Palatiis Imperatorum & Principum, si ex proæresi fiat, graviorem pœnam meretur quam alia delicta quæ in locis tali privilegio non instructis fiunt. Sic qui stuprum in iis committit, qui furtum facit, licet rei non adeo magnæ, quandoque capitis pœnam luere debet. Enarrat Ahasverus Fritsch. *in d. tract. de Palat.* præjudicium, quo ostendit quendam, qui crumenam cum 60. solidis in Camera Parlamenti tantum inciderat, 22. Jan. anno 1546. per Parlamentum Paris. ad furcam esse condemnatum. Sic in Palatiis nemini licet gladio quendam aggredi vel eundem evaginare. Si quis igitur in tali loco quid admiserit ac quempiam læserit, tanquam Pacis publicæ violator, acrioribus pœnis vel amputatione manus vel interdum etiam capitis punitur per *l. 9. §. 3. ff. de R. D. l. 7. §. f. & ll. seqq. de injur.* & recte etiam statuit *Mylerus ab Ehrenbach in lib. de Principibus & Stat. Imp. p 2. c. 52. num. 7.* provocantem ad duellum in loco sancto capite puniri: quamvis extraordinariam pœnam obtinere existimet, si provocatio tantum facta fuerit in atrio aut confini-

einer oder mehr diesen unsern Burg- und Haußfrieden vorberührter gestalt verbrechen/ den oder dieselbigen wollen wir an Leib und Leben straffen/ und keine Gnade noch einigerley Fürbitte oder Verdienst statt finden lassen ꝛc.

LIX.

Desinit res sancta esse sancta (1) voluntate Majestatis. Quicunque enim habet potestatem rem sanctam constituendi, ille & abolendi rursus potestatem habet: & nihil adeo fortiter humana voluntate ligatum est quod non possit eodem modo solvi quo ligatum est. Sic & Tiberium, cum animadverteret, asylorum immunitatem malefaciendi ansam hominibus præstare, eam abrogasse legimus, ne scelera manerent impunita. *Schard. in Lexic. in voc. Asylum.* Deinde etiam morte earum, ut ita loquar, sive interitu rei, si sc. ea res funditus sit eversa, de quo notabilis est versus Poëtæ dicentis:

Mors etiam saxis marmoribusq; venit.

LX.

Intereunt autem hæ res vel ob delictum ibi commissum & à superiori abolentur, vel tantum ab hoste potentiori vi hostili corrumpuntur. Posteriori modo res sancta non desinit esse sancta, nisi forte ad tempus, dum est diruta ab alio, cesset esse sancta, ubi tamen statim post refectionem etiam ejus sanctitas redincipit. Priori vero, si ob delictum eversa fuerit, à superiore qui fuit ejus Dominus, desinit esse sancta nec sine ejus consensu rursus ædificari debet, & huc pertinet ever-

sio ur-

ſio urbium, quæ propter obedientiam ſuperioribus denegatam exitium patiuntur. Hæ urbes uti aratri inductione conſtituuntur, ita & eadem ratione devaſtatæ aratrum patiuntur: de quo modò videatur *Hennel. ab Hennefeld. in otio Uratislav. c. IIX.* ſc. ſi inductum fuerit urbi aratrum, jura univerſitatis veluti cenſentur perdita, ut non ſolum urbs urbs eſſe deſinat, ſed & poſteriorum nemini liceat quicquam ſolo illi immoliri inædificare, ſuperſtruere, ut non incomte adeo urbes dicantur mori ſecundum Modeſtinum & Lucianum in Charonte his verbis: ἀποθνήσκουσιν αἱ πόλεις ὥσπερ καὶ ἄνθρωπος. *vid. plura apud Hennel. c. VII. in f.* & Huc pertinet etiam fortaſſis illa Exſecratio Joſuæ in Jericho, quæ legetur. *verſ. 27. c. VI. lib. Joſ.*

LXI.


Atq; ita pro ingenii mei tenuitate de Rebus Sanctis diſſertationem quidem abſolvi: fateor tamen materiam hanc ſplendidam uberiorem accuratioremq; delineationem deſiderare. Si qua igitur fuerint, ut erunt, quæ forte minus recte poſita cenſebit, B. L. ea ſingulari ejus modeſtiæ & humanitati commendo, utque pro ſua prudentia ingenue corrigere ac ſupplere velit, obnixe rogo. Tibi, interim, O Sanctum Numen, pro conceſſa ad eam perficiendam ope

ſit ſanctus honos & gloria ſancta!



Defendis turres, munitos aggere muros,
  Arces, & ſcripto munis aſyla Tuo.
Regum tutaris ſtatuas, ſimulacra Deorum,
  Aras & quicquid res Tibi ſancta cluit.
Falleris, an ſecura ſatis munimine firmas?
  Et paucis caſtrum cingitur an literis?
At geris inſignes & dignas Codice curas,
  Dum *rebus ſanctis* debita jura paras.
Debita jure paras juſtâ pietate coactus,
  Quam docto tribuis Principibus calamo.
Sint igitur, quorum ſacros defendis honores,
  Felix fortunis ara reperta Tuis.
Optamus, nunquam Te vis aut triſtia lædant,
  Donec Sanctorum Te locus excipiat!

Ita
Nobiliſſ Dn. RESPONDENTI & AUCTORI
Commenſali & Amico dilectiſſimo de egregia
Diſſertatione gratulari voluerunt,
debuerunt,



Magnif. D. D. MEIBOMII
CONVICTORES.

